

† Fr. Antonius (Hermannus) Teeuwen (1872-1937)

(Prov. Holl.)



Die 7 Iulii 1937 in domo Ruraemundensi vita functus est Frater laicus professus *Hermannus*, qui vivens et moriens exemplar Fratrum laicorum habebatur; unde statim postquam obiit ex ipso- rum Fratrum sinu votum exiit, ut in Analectis memoria eius perpetuaretur.

Fr. Hermannus, in saeculo Antonius Teeuwen, piis honestisque parentibus agricolis in pago Neer, diocecis Ruraemundensis, in Limburgia natus est. Etiamtum puer, vitam rudiori ex parte cognovit; nam utroque parente praematura morte orbatus,

elementari schola vix relicta, duro servitio victum comparare debuit. Timorem tamen Domini hereditatis loco a parentibus acceptum fideliter custodivit. Saecularem quidem vitam, cuius discrimina perspecta habebat, hinc abhorrens, illinc vero religiosa, qua alliciebatur, vita indignum se reputans, indesinenter a Matre Dei, quid sibi faciendum esset, fervidis precibus, peregrinationibus et novendialibus exercitiis exquirebat. Sie diu an- ceps haesit, usque dum divina Providentia suaviter omnia disponens iter ad vocationem prosequendam paulatim ei sterneret. Viri nempe cuiusdam conspicui operâ servitii locum obtinuit apud nobilem virum comitem Carolum de Aefferten, qui sibi suaequa uxori pium fidumque famulum de- siderabat.

Fiduciam in se positam Hermannus non fecellit; per quatuor annos, quibus patriciae huic familiae tanquam domesticus et hortulanus inservivit, summam sibi satisfactionem conciliavit, uti patet ex honorifico testimonio, quod comes de Aefferten scripto ei abeunti tradidit; quin etiam postea,

cum iam Congregationi nomen dederat, familiae semper acceptus manebat et libenter in castello excipiebatur. Est castellum hoc, « Schöndeln » nomine, haud procul situm a Sanctuario B. M. V. in Arena, cuius curam nostrates Ruraemundae gerunt. Unde Hermannus noster, pro sua in B. V. pietate, Sanctuarium saepe visitabat et ex frequentatione Patrum nostrorum desiderium religionis ingrediendae novis flammis in se excitari sentiebat.

Vocatione igitur a Superioribus approbata necnon retardatione a parte comitis, qui fidum famulum invitus amitterebat, superata, demum die 10 Aprilis 1899 Ruraemundae candidatus ingredi potuit, et post novitiatum Buscoduci peractum die 29 Septembris 1904 ad vota perpetua admissus est. Famam virtutis, quae candidatum praecesserat, haud frustravit; nam inde ab introitu quandam maturae virtutis et pietatis Alfonsiana speciem prae se tulit. Superioribus obedientissimus, erga Patres reverentiae plenus, aequalibus mitis, obsequiosus omnibus uno omnium ore laudabatur. Connovitiis vultu gravi, animo collecto et modesto corporis habitu aedificationi erat, grato quoque animo vocationis suae ad Congregationem beneficium semper recolens. Haec Adm. R. P. Lijdsman eius connovitius testatur, qui etiam memoriae tradidit, quomodo Amstelodami, Patres noctu ad infirmos comitans, decenti apparitione sua extraneorum admirationem et aedificationem moveret; et sic (ait) postea semper mansit. Erat nempe constanti animo, et quidquid semel proposuerat, perseveranti vigore tenebat. Eminebat revera in eo mira oculorum modestia, qua mulieres nunquam — ad tramitem Constitutionum — intuebatur aversaque facie ad illas loquebatur.

Post professionem Rosaevallum primum, Ruraemundam deinde missus est, ibique reliquam vitam religiosam transegit, variis, uti ianitoris, hortulanii, procuratoris et nosocomi iuvenistarum destinatus officiis domesticis, quibus, quemadmodum prius in saeculo, etiamnunc in religione ad plenam Superiorum satisfactionem functus est. Sacerdotes, qui frequentissimi Sanctuarium visitant, ianitorem discretum et reverentia plenum laudabant; laici vero omnis condicionis fratrem humilem et placidum magni faciebant, et cum infirmabatur, de eius valetudine crebro interrogabant doloribusque eius compatiebantur.

Virtuti Fr. Hermanni non defuit sollertia. Sic Ruraemundae spatirosus hortus Marianus, peregrinantibus destinatus, eius praecipue consilio et opera perfectus et tam pompis eucharisticis celebrandis quam obeundis Viae Crucis stationibus apte accommodatus est. Plantatis amplius 250 arborum speciebus verum « Hortum Botanicum » effecit, quem horticulturae amatores, immo et magistri cum discipulorum schola studii causa frequentant.

Tempore quo hoc collegium ex aere alieno laborabat etiam de temporalibus optime meritus est; magna scilicet cum apud extraneos fiducia

frueretur, ipse, licet invitus, electus est ut faeneratores, qui pecunias nobis mutuo concesserant, visitaret, quantumque singulis domus deberet, prudenter exquireret: decessoris nempe incuria rationes pecuniariae valde perturbatae erant. Exhinc de die in diem, quavis tempestate, biciculæ insidens, officio suo satisfaciebat. Et cum, tanta non obstante in agendo prudentia, nihilominus rumor spargeretur Patres solvendo impares fore pluresque creditores pecuniae cladem metuerent, tam caute anxios placavit, ut eorum impetum seu « *run* », ut dicitur, qui ruinae collegii aequalis fuisset, averterit.

Anno 1925 aegrotare coepit morbo ex his excursionibus contracto et s. morientium sacramentis munitus est. Verumtamen, paulatim reconvalscens, per annos 12 vivere perseveravit, membrorum tamen inferiorum usu paralysi privatus, ad omnem laborem inutilis et dolorum nunquam vacuus. Primis annis, duobus baculis sustentatus vel a Fratre nosocomo vehiculo motus, e valetudinario in hortum descendere poterat; octo autem ultimis annis valetudinarium vix reliquit. Anno nempe 1930 propter infelicem e lecto casum nova crux accesserat in forma cruris fracti omnisque miseriae cum alligamento e gypso coniunctae; quod alligamentum a chirurgo cum amoveretur, cutis gypso adhaerens simul avulsa est vulneraque hiantia apparuerunt, quibus ad mortem usque afficiebatur. Durante hoc tempore infantis instar in omnibus ope egébat.

Sic Fr. Hermannus dolorum imago, at pariter invictae patientiae factus est. Nam tot tantasque probations ut verus Crucifixi discipulus aequo semper animo pertulit, dicere solitus: « Laborare iam non valeo, quare patiendo restituere Domino omnia nitor »; vel cum Christo in horto paciente repetens: « Fiat voluntas Tua! » Immo miserrimo in hoc statu manibus expansis orare consuetasque in communitate poenitentias facere visus est. Patientiam autem comitabantur ceterae virtutes. Quocirca Frater, qui aegrotantem in domo Ruraemundensi probe noverat, hoc pulcrum testimonium ei reddidit: « Corpore separatus, spiritu tamen cum communitate vivebat, eadem pietatis exercitia peragens sodaliumque laeta tristiaque sedulo participans. Fide plenus tanta sacerdotalis dignitatis reverentia imbutus erat, ut cuiusvis Patris nosocomium intrantis illico benedictionem humiliiter peteret. In quo si quandoque excesserit, id morbo deliberationem minuenti imputari decet. Eandem, immo maiorem venerationem factis et verbis erga Superiores ostendebat; et si quando antea sententiae propriae iusto plus forte adhaeserit, nunc eorum placitis derogari nequidquam patiebatur. Quotiescumque P. Rector in horto, suffragio eius praetermissio, aliquid mutaverat, ipse: « Si Pater Rector (inquiebat) ita vult, potest etiam placere », et secus nihil addebat. Patre vero Provinciali aut Ordinario loci communitatem convenientibus præ gaudio cohiberi vix poterat, nimis felix, si, obviam illis factus, cruciculam in

fronte recepisset. De confratribus sinistre loquebatur nunquam, aliorumque propositis ad summum subridendo respondebat. Temporis avarus, ut illud orationi daret, diem ferme omnem orando insumebat, semper pro missinibus nostris et pro missionariis deprecans; quodsi visitantes longius quandoque colloquium trahebant, sermonem interrumpebat hisce verbis: « Sed nunc oportet me orare, nam complures preces recitandae mihi adhuc restant », vel: « Hodie non recollectionis quidem, sed devotionis tamen diem habeo »; idque tam candide proferebat, ut nullus aegre ferret.

B. V. Mariae in Arena, cuius sub umbra triginta haud minus annis vixit, cultorem Fr. Hermannum eximium extitisse non mirum videbitur. Et revera, quomodo a puero quavis aestivi temporis Dominica die pedestrem peregrinationem ex Neer Ruraemundense ad sacellum instituerit, Fratri nosocomo saepius ipse narravit; quo nosocomo teste semper quoque numisma Virginis Miraculosa secum gestabat. Sed Fratrem narrantem ipsum audiamus: « Dum ipso ianitore secundi ianitoris locum ego tenebam, frequenter ambularem ipsum in porticu ecclesiae vidi, unde prospectus in Statuam Prodigiosam habetur; illuc quoque pauperes, qui ad eleemosynam veniebant, ut orarent, mittere solebat; huc et postea, cum vehiculo moveretur, libenter divertebatur. A novennis habendis nunquam cessabat, cum pro singulis eas recitaret, qui se orationibus eius commendassent. Benedictioni infirmorum interesse, quamdiu per morbum licuit, in deliciis habebat; et tunc, timiditatis nativae oblitus, cum aliis infirmis verba facere et processione adventante Rosarium praefari gaudebat. Quotidie in lecto Litanias cum orationibus ad Virginem de Arena recitabat. Demum quinto inventionis Statuae Miraculosae centenario (1935)¹, non obstante millenorum hominum turba, in viam publicam vehi et sollemnia Statuae amburbalia cominus intueri voluit, quod — misero valetudinis statu considerato — incredibile videri potest, attamen verum est ».

Exitu propinquante, eximus servus Marianus, Ecclesiae sacramentis iterum refectus et votis religionis renovatis, absque agonia ex huius vitae doloribus ad aeterna gaudia convolavit, genuini S. Alfonsi filii nostris memoriae oculis relinquens exemplum. R. I. P.

¹ Iuxta traditionem Statua Miraculosa anno 1485 in campo arenoso prope Oppidum Ruraemundense a pastore ovium in puteo inventa, deinde in arbore collocata et venerationi publicae exposita est. Anno 1863 Sanctuarium ab Episcopo Ruraemundensi Exc. D. J. Paredis nostrorum curae commissum est: Die 14 Iunii huius anni tres quartae partes saeculi praeterierant, ex quo Sanctuarium cum contiguo a nobis exstructo coenobio possidemus.